

Matthaeus Volland Ericus Everts

## **Collegii Logici Disputatio IV. De Terminis Logicis Et Antepredicamentis**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729607585>


Druck Freier  Zugang



Ru. phil. 1642

Voland, Matthias,  
Collegii logici disputatio  
2-11







67

כְּסֵפֵי הַחַיִּים

COLLEGII LOGICI

Disputatio IV.

DE

PRÆDICAMENTIS

IN GENERE ET INSPE-

CIE DE SUBSTANTIA ET

QUANTITATE,

*Quam*

PERMISSU

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In Alma Rosarum.

SUB PRÆSIDIO

M. MATTHÆI VOLAND,

Mœno-Francofurtani S, S. Theol.

Studioſi,

*Præstantissimis & literatissimis suis Dominis*

*Collegis ventilandam proponit*

ERICUS *VERE* / *Holfatus.*

*Ad diem Martij, Anno 1642.*



ROSTOCHII,


Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLII.



THE UNIVERSITY OF  
ROSTOCK  
LIBRARY  
IN CHARLES STREET  
ROSTOCK  
MATTHEW VOLAND  
ROSTOCK  
THE UNIVERSITY OF  
ROSTOCK  
LIBRARY  
IN CHARLES STREET  
ROSTOCK





Collegij Logici  
DISPUTATIO QUARTA

De

PRÆDICAMENTIS IN GE-  
NERE ET IN SPECIE DE SUB-  
STANTIA ET QUANTITATE.

I.



**H**ic nobis primo intuitu sese offert illa quæstio, quâ quæritur, cujus disciplina sit agere de prædicamentis? Ubi nos ponimus has conclusiones. I. Prædicamentorum doctrina ad Logicam pertinet: Quia Objectum Logices omne Ens esse in prima nostra disputatione defendimus, omne autem Ens comprehenditur in hisce categoriis, intellige, quod habet vera requisita, ut aliquid directè vel lateraliter in prædicamento collocari queat. Quum igitur omnis disciplina objectum suum perfectum cognitumq; habere debeat & in prædicamentis objectum Logicæ ceu in synopsi quadam ob oculos suo modo nobis ponatur, non absq; ratione peculiarem etiam considerationem de prædicamentis instituimus. Hinc argumentor: Quodcunq; est disciplinæ Logicæ objectum, illud etiam debet esse cognitum, sed prædicamenta sunt disciplinæ Logicæ objectum, E. prædicamenta debent esse cognita. Et quidem prout Logicæ sunt considerationis, in Logica etiam sunt proponenda. II. Quodcunq; pertinet ad finem Logicæ, id in Logica proponi debet. Finis enim debet esse norma totius disciplinæ practicæ, Atqui ad finem Logicæ pertinent prædicamenta. Nam finis Logici boni est facere posse,

A

bonas



bonas definitiones, divisiones, prædicationes &c. Quæ omnia hauriri possunt & debent ex prædicamentorum doctrina. Nam ibi monstratur ratio vera definiendi & dividendi, ibi etiam traditur materia faciendi propositiones affirmativas, & sic consequenter ex propositionibus syllogismos. Atqui hic est finis isq; internus Logicæ, uti id in prima nostra disputatione proposuimus. II. Conclusio. Tractatio prædicamentorum generalis secundum distinctam cognitionem pertinet ad Metaphysicam: In hac enim disciplina de substantia & accidentibus tractatur in actu signato id est, definitur, quid sit substantia, quid sit accidens, & earum etiam rerum adiunguntur divisiones. At in Logicis hi termini considerantur in actu exercitio, prout applicantur, & operatio juxta illos instituitur. Dicitur in hac conclusione, quod Prædicamenta in Metaphysica secundum distinctam cognitionem considerentur, ut ita inter tractationem eorundem Logicam & Metaphysicam differentia aliqua observetur. Nam Logica de his tractat, ut confusè saltem cognoscat & præcognoscat suum objectum operationis, circa quod versari debet; uti quilibet artifex aliquo modo & quidem confusè objectum suum, circa quod occupatur, debet cognoscere. Sic aurifaber, objectum suum, *aurum* sc. debet habere cognitum, sed tamen non distinctè. Cognitionem enim distinctam & accuratam relinquitur alij scientiæ. Sic etiam Logica confusam saltem prædicamentorum notitiam habere tenetur, eorundemq; accuratiorem cognitionem Metaphysicæ relinquere. Propterea in nostrâ datâ conclusione extant hæc verba, *tractatio generalis*, ad significandum generaliter saltem non quoad specialiora in Metaphysicis considerari prædicamenta. Nam cælum, elementa, & corpora mixta sunt quidem substantiæ, quæ tamen quoad specialiorum contemplationem ad aliam disciplinam vid. Physicam pertinent.

II. Hæc sunt quæ de hac quæstione proponenda erant, quid de cæterorum sententijs, quæ variæ adhuc sunt, judicandum, ex dictis facillè patet, & quemlibet hac in re liberè judicantem merito patimur.

III. Objiciunt autem contra primam conclusionem I. *Metaphysica considerat Ens. E. non Logica.* Respond. negando consequentiam, & distinguendo inter rem consideratam & modum considerandi: Licet enim Ens vel res ipsa in varijs disciplinis tractetur,



tur, modustamen tractandi est diversus. Sic homo est considerationis Ethicæ & Physicæ; Ethicæ, quatenus est virtutibus civiliter informandus: Physicæ; quatenus est species corporis naturalis.

Ita etiam de Ente agit Logicus, de Ente etiam agit Metaphysicus, sed tamen sub diversa consideratione. Logicus ens considerat, prout substat notionibus secundis, Metaphysicus considerat illud in actu signato, id est in communi suâ naturâ explicando ejus naturam & affectiones, ut & species ejusdem, vel potius quasi species. Objiciunt II. Quidquid est modus differendi, non agit de Entibus ipsis, Logica est modus differendi E. Logica non agit de Entibus ipsis. Respond. negando majorem. Nam ille modus discurrendi etiam versatur circa Entia realia, quæ sunt primarium objectum Logicæ, prout tamen substans notionibus secundis. Propositiones enim & syllogismi fiunt ex prædicamentis, prædicamenta autem proponunt res ipsas, circa quas etiam nostra occupata est Logica. Hinc illæ regulæ consequentiæ formalis dirigentes Syllogismorum formam, non sunt fictæ, sed habent fundamentum in rebus ipsis. Quare B. Augustinus *lib. 2. de doct. Christ.* elegantissimè inquit: Ipsa veritas connexionum non instituta, sed animadversa est, ab hominibus, & notata, ut eam possint vel discere, vel docere, nam est in rerum ratione perpetua, & divinitus instituta. Insurgunt III. Doctrina Logica tota est de notionibus secundis. At prædicamenta non sunt de notionibus secundis. E. Respond. negando majorem, si simpliciter intelligatur ita posita. Versatur enim Logica & circa Ens reale & Ens rationis.

IV. Hactenus resolvi argumenta objicibilia contra primam nostram conclusionem, accedo ad solutionem argumentorum objicibilium contra secundam conclusionem.

V. Objici potest hîc primò quantitas, quæ non est considerationis Metaphysicæ, quia non potest abstrahi à materia; Siquidem ab eadem fluit. Variè hîc responderi potest; Primò dicimus cum Scaligero, *Exerc. 319. f. 3.* Angelos habere etiam quantitatem intelligibilem, vel secundum nostrum concipiendi modum, ne tamen eosdem possidere materiam. 2. Negamus quantitatem non posse abstrahi à materia, vel subjecto cui inhæret. Si enim hæc sen-



tentia stare deberet, Mathematicæ nobis tollerentur disciplinæ, quæ utiq; considerant quantitatem abstractam à subjecta materia: Mathematicus enim considerat lineam, vel superficiem, non considerato subjecto, cui hæc insunt. 3. dicimus, quod etsi & quantitas flueret à materia, & abstrahi ab eadem non posset, tamen in Metaphysica tractari indirectè & per accidens queat, ut præcognoscatur subjectum alius inferioris disciplinæ, videlicet Mathematicæ. 2. Obijciunt aliàs etiam ita: Si de summis generibus agitur in Metaphysicis, cur non etiam agitur de illis, quæ continentur sub iisdem. Respond. quia abstractio Metaphysicæ hoc ipsum non admittit. 3. Proferunt hanc objectionem: Prædicamentalis substantia est composita ex materia & forma, ut docet *Perer. lib. 1. de Phil. c. 6.* at ista non potest abstrahi à materia, & ita non est considerationis Metaphysicæ. Hinc formari potest jam talis Syllogismus: Omne id, quod non potest abstrahi à materia, id non est considerationis Metaphysicæ; At substantia prædicamentalis est id quod non potest abstrahi à materia. E. Substantia prædicamentalis non est considerationis Metaphysicæ. Major est clara ex Abstractione Metaphysicæ: Minor probata est ex *Perer. l. 6. c. cit.* Respond. ad minorem negando: siquidem substantia spiritualis finita illa revera est abstracta à materia; Si autem urgeatur ipsa substantia corporea, notandum est, abstractionem à materia, in re, quæ abstracta dicitur, tollere vel materiam ipsam, vel modum considerandi materiale, qui est in ordine ad motum, qua ratione materialia in Physicis tractantur. In Metaphysicis autem agitur de substantia materiali secundum considerandi modum Metaphysicum. Ad probationem minoris itidem responderi potest, non omnem substantiam prædicamentalem esse compositam ex materia & forma. Angeli enim sunt substantiæ prædicamentales, nec tamen habent illam compositionem. 4. Obijcere solent text. *Arist. 4. Metaph. c. 2. l. 2.* Eiusdem scientiæ est speculari Ens & species entis & species specierum. Respond. hoc ipsum intelligendum esse, & intelligi posse de speciebus Entis proximis, & remotis etiam sub eadem scibilibus tractatione contentis. Hæc dicta sunt de hac questione.

VI. Quæ.



VI. Quæritur præterea; An in prædicamentis agatur de rebus,  
an verò vocibus? ubi responderetur, quod in iisdem agatur de rebus,  
non vocibus. Nam ea, quæ pertractantur in prædicamentis, sunt  
substantia & accidens, at ea sunt entia reverà realia & positiva, non  
nudæ saltem voces: Huc refer versus illos vulgares: Summus Ari-  
stoteles trutinando cacumina rerum In duo divisit, quicquid in-  
orbe fuit; videlicet in substantiam & accidentia. Sed tamen hæc  
cognitio rerum hic loci non est distincta, sed tantum confusa, ut  
aliquo modo saltem objectum Logices præcognoscatur, & in Sy-  
nopsi quasi ob oculos nobis ponatur.

VII. Præmissis præmittendis conferamus nos ad definitionem  
prædicamenti: Prædicamentum est dispositio rerum per genera  
subalterna & species subalternas, & infimas ac individua sub uno  
aliquo genere generalissimo.

VIII. Hæc definitio generalis potest applicari in omnibus spe-  
cialibus definitionibus prædicamentorum, vel substantiæ, vel  
Quantitatis, vel Qualitatis, &c. v. g. Substantia est dispositio sub-  
stantiarum per genera subalterna, & species subalternas, & infimas  
ac individua sub genere aliquo generalissimo (substantia.) Sic  
quantitas est dispositio quantitatum per genera subalterna & speci-  
es subalternas & infimas ac individua sub genere aliquo generalissi-  
mo; & sic in cæteris etiam prædicamentis res sese habet. Hujusmo-  
di generales definitiones in specialibus rerum de finitionibus ap-  
plicabiles plures dantur. Sic in Ethicis definitur virtus per habi-  
tum electivum, consistentem in mediocritate, quoad nes, definità  
ratione viri prudentis, l. 2. ad Nicomach. c. 5. Exinde jam potest ta-  
lis generalis definitio formari: Virtus est habitus servans mediocri-  
tatem circa objectum suum: Hæc definitio generica potest accom-  
modari ad omnes speciales Virtutum specialium definitiones: Vir-  
tutes enim morales, ut & earundem vitia opposita gaudent una &  
eadem definitione generali, mutato saltem objecto. Qui igitur no-  
vit objecta omnium virtutum, faciliè easdem, ut & vitia iisdem  
opposita definire poterit. v. g. Fortitudo est virtus moralis mediocri-  
tatem observans circa terribilia & fiducialia secundum hominem.  
Audacia est vitium morale in excessu peccans circa terribilia & fi-  
ducialia



ducialia secundum hominum. Timiditas est vitium morale in defectu peccans circa terribilia & fiducialia secundum hominem. Sic temperantiae objectum sunt voluptates, quae gustu & tactu percipiuntur. Hinc jam definitio: Temperantia est virtus moralis observans mediocritatem circa voluptates, quae gustu & tactu percipiuntur. Sic Liberalitatis objectum sunt *χρήματα μικρά* lib. 2. ad Nicom. c. 3. sumtus sc. minores & mediocres. Facilis nunc est definitio, quae talis fieri potest: Liberalitas est virtus moralis observans mediocritatem circa τὰ *χρήματα μικρά* seu circa sumtus minores & mediocres, & ita omnes omnino virtutes definiari possunt, mutatis earundem tantum objectis. Haec etiam de definitione praedicamenti sufficiant.

IX. Queritur autem, quot sint praedicamenta, ubi respondere placet, denarium esse numerum praedicamentorum.

X. Hic peccant alij in excessu, alij in defectu quoad numerum videlicet praedicamentorum; *In excessu* Pythagorei, qui 20 praedicamenta constituerunt, ut habet *Philosophus lib. 1. Metaph. c. 5.* Alij neoterici undecimum praedicamentum pro entibus rationis posuerunt, vid. Tolet. in Categ. quaest. 1. *In defectu* peccant, qui praedicamentum unum faciunt, *Ens*, ut Plato in Sophista, vel duo, ut Zenocrates, vel tria, ut Valla, vel quatuor, ut Stoici, vel quinque, ut Plotinus, vel Sex, ut Avicenna & Mendoza d. 9. *Metaph. Sect. 2. §. 16, 17, 18.* vel novem, ut Nicoftratus.

XI. Sed opinionibus hisce omnibus rejectis merito numerum hunc praedicamentorum denarium, communi Logicorum bonorum applausu receptum approbatumque; approbamus & nos, atque retinemus; De quo Mendoza loquitur, disput. Metaph. 9. §. 20. & disputat. 13. §. 4. ubi dicit, divisionem illam in decem praedicamenta non esse examinandam lydio lapide, sed pingui Minerva accipiendam, & sequendam: Itaque numerus hic non potest a priori aut ratione aliqua demonstrari, sed inductione solum confirmari, ut *Suarus disput. 39. Sect. 2. num: 17.* ex Avicenna docet.

XII. Numerus hic denarius praedicamentorum omissis alijs sufficientiae ejusdem probationibus rectissime probatur a 10. *Summi generibus.* Tot sunt Praedicamenta, quot sunt summa genera,  
sub



Subquibus prædicamenta disponi possunt. At illa decem sunt, ad quæ omnia entia creata referri possunt. E. tot prædicamenta esse debent. Et à posteriori tutissimè hic numerus si probari debeat, probari potest: quianec plura nec pauciora hæctenus prædicamenta commodè & rationabiliter dari potuerunt, quàm ista decem. E. illa sunt sufficientia.

XIII. Hæc de numero prædicamentorum, eorundemq; probatione sufficiant, nunc etiam ulteriùs quæritur quænam requisita sint observanda, ut aliquid directè in prædicamento collocetur.

XIV. Ut autem aliquid directè in prædicamento collocetur, notandum, à Conimb. octo requiri conditiones, tres quidem ex parte vocis, & quinque ex parte rei. I. ut sit vox una non tam quoad sonum, quàm quoad significationem, ut homo. II. ut sit incomplexa, id est, plures conceptus non exprimat, sicuti *homo doctus*. III. ut habeat accommodatum significandi modum. Modus autem hic in substantiis est, ut concretè efferantur & pronuncientur; in accidentibus autem abstractè. Sic in prædicamento collocatur *homo*, *leo*, *albedo*, *nigredo*, non autem *humanitas*, *leoninitas*, *album*, *nigrum*. Hæ sunt conditiones ex parte vocis significantis. IV. Illud quoquo quod in prædicamento poni debet directè, debet esse ens: Hinc excluduntur fragmenta Chimæra, Cerberus, &c. V. ut sit ens reale; Inde excluduntur entia rationis, ut & privationes. VI. ut sit ens per se. Qua conditione hinc amandantur entia per accidentis, uti sunt *vestis*, *Statua* &c. VII. ut sit ens finitum. VIII. ut sit ens completum.

XV. Hæc quoq; de Prædicamentis in genere sufficienter hæc vice dicta sunt: Aggredior tractationem ipsius substantiæ.

XVI. Substantia est Ens per se subsistens; In qua definitione notanda venit ipsius substantiæ formalis ratio, quæ est ipsa subsistentia, non sumendo vocem hanc specialiter, pro suppositalitate, sed generaliter, prout subsistere dicitur omne illud, quod non inhaeret alteri per modum accidentis, & ita non tantum suppositis, sed etiam aliis substantiis tribuitur.

Substant

XVII. Di;



XVII. Divid. 1. Substantia alia est materia, alia forma, alia ex materia & forma composita, videatur *Philosophus lib. 2. de Anima. c. 1. textu* 2. substantia alia est completa alia incompleta. 3. substantia alia est corporea, alia est spiritualis: Definitiones harum substantiarum patent ex votibus, ideoq; lubens easdem silentio prætereo. 4. substantia alia est prima, alia est secunda. Substantia prima est substantia singularis, ut *Petrus*. Substantia secunda est substantia universalis, ut homo, leo, animal.

XVIII. Axiomata de substantia notanda sunt hæc: 1. Omni substantiæ commune est non esse in subjecto. *Arist. in Categ. subst.* 2. substantia prima hoc aliquid significare videtur. *ibid.* 3. substantiæ nihil est contrarium, 4. substantia non recipit magis & minus. 5. Una & eadem numero substantia habet vim accipiendi contraria. *Arist. l. cit.* 6. Quod in uno est substantia, in alio accidens esse nequit. 7. Inter substantiam & accidens non datur medium. 8. Substantis substantiis primis nihil loci relinquitur cæteris omnibus. Hæc quoq; de substantia dicta hic sufficiant. Quæ ad prædicamentum Quantitatis progredior.

XIX. Quantitas est ens per se extensum, vel Quantitas est à qua res dicuntur quanta vel aliquot.

XX. Formalis ratio quantitatis non est in mensura; quia mensura est relativum quid, at quantitas est absolutum quid, 2. mensura non est ipsa quantitas præcise, sed id quo quantum cognoscimus; ut docet Aristoteles 10. Metaph. c. 1. quod est contra Albertum M. & Thomam. Nec 2. in divisibilitate, juxta Scotum, & plerosq; Thomistas. Nam divisibile est aliquid naturâ posterius quantitate; non enim ideo res est quanta, quia apta est, ut dividatur, sed contra potius ideo apta est dividi, quia quantitatem habet. Siquidem divisibilitas est attributum ex extensione quantitatis secutum.

Nos igitur juxta recentiorum communem sententiam formalem rationem quantitatis in extensione consistere dicimus.

XXI. Extensio verò est quadruplex: 1. entitativa, quæ oritur ex ipsa entitate. 2. quantitativa, quæ est ratione ordinis, quem habent partes diversæ inter se, ita caput continuatur collo, & non manui, collum brachio, & non pedi. 3. Actualis extensio, cum diversæ

ialis jean  
is.



diversæ partes corporis actu occupant diversas partes loci, & re ipsa una alteram excludit. 4. Aptitudinalis, cum duæ diversæ partes corporis dicuntur posse habere duas partes diversas loci & una alteram loco excludere apta nata est. Et in hac ultima extensione formalem rationem quantitatis collocare non dubitamus.


XXII. Quantitas est vel continua, vel discreta: Continua, cujus partes communi aliquo termino copulantur; & alias appellatur magnitudo; Sed notandum tunc est, Magnitudinem non sumi relativè, prout parvitati opponitur, quo sensu ad prædicamentum. Relationum ab Aristotele refertur; verùm absolutè, ut magnum dicatur omne illud, quod extensum est.

XXIII. Ad quantitatem continuam referunt *lineam, superficiem, corpus, locum & tempus*. Sed de loco & tempore sentiendum quid sit, in conflictu dicam.

XXIV. Quantitas discreta est, cujus partes non copulantur communi termino. Huc referunt *numerum & orationem*.

XXV. Axiomata. 1. Quantitati nihil est contrarium. 2. Quantitas non recipit magis & minus. 3. Maximè proprium est quantitati æquale & maius Vale dici. Addo. 4. Quantitatis nullam esse actionem & efficaciam.

XXVI. Tantum etiam de substantia & quantitate hac vice dicere nobis placuit, plenitorem & accuratorem tractationem hisce de rebus Metaphysicorum choro committimus.



**A**N dentur aquæ supra cælestes? Resp. affirmando præeunte nobis sacrâ paginâ, quæ huiusmodi dari aquas satis aperte testari videtur: Cum enim caput primum Geneſews explicamus, hæc verba v. 6. & 7. capitis istius cit: expresse posita videmus: Et dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & distinxit inter aquas & aquas. Et fecit Deus firmamentum, & distinxit inter aquas, quæ erant sub firmamento, & inter aquas, quæ erant supra firmamentum & sa.



& factum est ita. Et vocavit Deus firmamentum celum. Hoc ipsum Regius Psalmista comprobare videtur. dum inquit Psalm. 104. v. 3.

נוטה שמים כיריעה  
המקרה במים עליו תוה  
id est: Extendens celum sicuti cortinam contignans in aquis excelsa sua. Et idem Rex & Psalter Psal. 148. v. 4. & seq. clarius hac exprimit:

הללו שמי  
השמים והמים אשר  
מעל השמים: והללו את יהוה

id, est Laudate cæli cælorum, & aqua quæ super cælum sunt Laudent nomen Domini. Ex hisce dictis & testimoniis divinis hujus modi supra cælestes aquas dari sarris superq. confirmari videtur.

An Cælum habeat materiam? Resp. affirmando contra Averroem, qui lib. de substantia Orbis dixit, corpus cæleste non esse compositum ex materia & forma & esse potius subiectum quantitatibus & figuræ, quàm materiam, atq. ob id de eo & corporibus hisce inferioribus non univocè dici corpus, sed hoc corpus esse medium quoddam inter puram potentiam & purum actum: Sed in hisce verbis Averroes ipse se ipsum refutat, dum inquit cælum esse subiectum quantitatibus & figuræ.

Utrum filius in Magistratu constitutus patri privato præferendus? Resp. affir.


An Patri potestas vita & necis in filium committenda? Resp. Neg.














XL. *Demonstratio quæ fit à causa remota* e-  
 clusionem negativam, nunquam affirmativam  
 remotâ, non necessariò ponitur effectus, subla-  
 motâ, tollitur effectus. Unde syllogismi dem-  
 remotâ sunt in *secunda figura* in modo *Camest*  
*quid respirat, habet animam sensitivam, Lapis*  
*sensitivam. E. lapis non respirat.* In hac demo-  
 sensitiva est causa remota respirationis, non pro-  
 sitâ animâ sensitivâ, non ponitur respirationis, p  
 sensitivam habent, non tamen respirant. Pu  
 proxima respirationis. Exinde perspicuum est,  
 sa, e. g. *animâ sensitivâ* non posse procedere a  
 ctum, respirationem. Negativè tamen optin  
 quentia, Sublatâ enim causâ remotâ, effectus  
 monstratio à causa remotâ habet aliquam conve  
 monstratio absolute ita dicta, quia utraq; e  
 fit ab ea 1. quia non est causa proxima, per  
 a. quia propositiones non sunt immediatæ. De  
 effectu longè est perfectior illâ, quæ est à causa  
 demonstratione ab effectu propositiones imm  
 non contingit in demonstratione à causa rem  
 quata causa est, neque propositiones immediatæ

XL. Sed dicat fortassis aliquis hanc divisi-  
 tionis non esse immediatam, sed dari alia gen-  
 erum idq; probet objiciendo. 1. Averrois opinio  
 genera demonstrationum, aliam *τὴν ὄν*, aliam  
 niq; quâ demonstratur *τὸ ὄν & δῖόν* simul. In  
*com. 95. & in epist. cap. de demonstratione & lib. 2*  
 alibi Resp. Objicienti hoc dubium, non esse  
 strationem aliam *propter quid tantum*, aliam  
*simul*. Nam omnis demonstratio *δῖόν* involvit

2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur dem-  
 ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam,  
 monstratio ab effectu ad effectum alium nec  
 Ratio, quia propter necessariam effectuum con-

C



on-  
 usâ  
 re-  
 fa-  
 yic-  
 am  
 ra  
 po-  
 am  
 usa  
 no-  
 ffe-  
 se-  
 de-  
 de-  
 de-  
 rat.  
 ; ab  
 a in  
 od  
 da-  
 ra-  
 io-  
 ria  
 de-  
 ost.  
 &  
 on-  
 uid  
 usa  
 de-  
 m.  
 fla-  
 ria